





89

ELEGIA  
IN NATALEM  
DOMINI ET SERVA-  
TORIS NOSTRI IESV CHRISTI, ATTIN-  
gens causas quarum impulsu Filius Dei vni-  
genitus & VERBVM Patri  
coeternum caro factum est,

Scripta

Ab  
HEINRICO SORGIO  
Torgensi.

VVITE BERGÆ  
Excudebant Clemens Schleich  
& Antonius Schöne,

ANNO

M. D. LXX.

AMPLISSIMIS VIRIS, A DO-  
CTRINA, VIRTUTE, PIETATE  
atq; adeò omni virtutum genere paratissi-  
mis D. Consulibus totiq; Senatui inclytæ  
Reipublicæ Argeliensis, Dominis  
suis ac patronis perpetuo co-  
lendis S. D.

A Vrea quando iterum redierunt tempora lucis,  
Qua Deus è casta virgine natus homo est.  
Temporis hæc ratio iam carmina dicere CHRISTO  
Iussit, & in numeros cogere verba pios.  
Excipere & voto venientem supplice prolem,  
Et simul huic blandis oscula ferre genis.  
Vranie, Patres conscripti & sancte senatus,  
Nostra, hæc Albiacæ mittit ab urbe scholæ.  
Orat & exigui studij, vos fronte serena,  
Annuere his elegis primitijsq; suis.  
Et causas, orat, pangentem audire benigne,  
Cur velit in nostra viuere carne Deus.  
Et quanquam careant verborum carmina fuso,  
Eloquij vel vi quam Maro magnus habet.  
Materie tamen hac verborum damna rependit,  
Rebus ubi sacris ad Vigilare studet.  
Paruum habet hic Rhetor, linguaeque volubile plectrum,  
Et vatum exiguum numen Appollo, locum.  
Verborum tenui filo res ducere sacras,  
Grata etiam placido res solet esse DEO.

At

At vos patronos studiorum æquosq; Camænis  
Consulere hæc optat carmina Musa boni.  
Vt, sibi si facilis demum allabatur Apollo,  
Carmina docta magis tum meliora canat.  
Interea Musas, solamina dulcia vitæ,  
Pergite consilio req; iuuare pias.  
Atq; pijs cœlum tentare ascendere factis,  
Ad superos quibus est semita trita Deos.  
Vestraq; cum toto valeat Respublica vulgo,  
Et Deus auxilio vos regat vſq; suo.  
Viuite conscripti patres, & sancte senatus  
Viuere diu, æternum viuere digne, Vale.

V. P.

Addictissimus

Heinricus Sorgius Torgensis.

ELEGIA DE CAVSIS INCAR  
nationis Filij Dei Domini nostri Iesu Christi.

Frigida iam medius Capri Sol signa pererrans  
Æthereum obliquo tramite lustrat iter.  
Obliquosq; sui radios splendoris ad imam,  
Languenti tanq; robore mittit humum.  
Iam nunc brumali designant frigore clausæ  
Durati terræ tempora sacra sinus.  
Halcyo compositis demum nunc æquoris vndis,  
Congestos mira construit arte nidos.  
Ac medios inter Scopulos fluctusq; minaces  
Pendula, quæ peperit sollicitè cui fouet.  
Sic is qui pelagi fluctus & murmura sternit,  
Ac volucres ponto qui famulante tegit.  
Et qui tranquillæ est pacis donator & author,  
Hoc ipso est anni tempore factus homo.  
Ergo cum tempus precibus versuq; canoro,  
Et pietas moneat vera vacare D E O.  
Nos quoq; Christe tuum tollemus carmine nomen,  
Dicentes nato iubila leta tibi.  
Pangemusq; pias lætanti pectore causas,  
Cur massæ has sumas exuuiasq; geras.  
Vera loqui, & me magna loqui res ipsa fateri  
Cogit, & has vires exuperanda meas.  
Sed quia tu solus finis, tu principiumq;  
Huius eris Iesu carminis ipse mei.  
Haud potes auxilium fratri renuisse, tuo quem  
Fecisti proprium Sanguine Christe tibi.

Mitte

R  
Mitte tuo patrisq; tui de pectore Flatum  
Qui iuuet imparibus claudere verba modis.  
TE propria se se lustrans in imagine prolem,  
Nullius auxilio progenuitq; pater  
Cuius tu λογος es, prorsum sed originis expers,  
Et VERBVM æternū cum patre fine cares.  
Cum patre consilium de rebus Christe creandis,  
Suscipis, & per te cuncta creanda creat.  
Per te homo diuinæ quoq; mentis imago creatur,  
Ut veluti templum sit requiesq; Dei.  
Quem transcendentem tu post mandata parentis,  
Concilias patri restituifq; tuo.  
Ipsius & quia te luiturum crimina spondes,  
Ex patris hæc gremio nuncia læta refers:  
Olim te semen casta è muliere futurum,  
Subdola compescas Victor ut ora Stygis.  
Te vates exinde diu cecinere futurum,  
Cernere & aduentum concupiere tuum.  
Tandem Cumæi venit cum carminis ætas,  
Florida iam reducis secula pacis erant.  
Tu noua progenies cælo demitteris alto,  
Virginis & sanctæ viscera casta subis.  
Conceptum molli sancto deflamine in aluo  
Te fert, atq; parit parua puella D E V M.  
Et quia tum natum te non dignata cubili est  
Turba, nec angusti parte iacere loci.  
Cogeris in stabulo casta cum matre ferarum  
Esse opifex rerum, pauper egensq; iaces.

A ij Aulam

Aulam caula tibi, cunas præsepeq; præstat,  
Fasciolæ supplet gramen & herba locum.  
Ac halitus tantum tepidis flatusq; ferarum  
Pro calidis IE SV contigit esse foci.  
DIC quo parue puer cælo demissus in orbem  
Squalentem vitys motus amore venis?  
Quare non sedem, cum sis regnator Olympi,  
In cælo potius quam tibi in orbe legis?  
Tu qui diuitias omnes telluris opimas,  
Æquoreo vectas gurgite opesq; tenes.  
Cur tam pauper egenisq; iacces, nec tegmen habes quo  
Casta tibi genetrix membra tenella tegat?  
Scilicet ut cælo possis de lapsa vicissim  
Imperio regni reddere corda tuj.  
NAM postquam legis violassent iura Tonantis  
Indeq; naturæ semina iusta suæ.  
Quæ poterant nullis aboleri viribus, & quæ  
Æternum voluit mente vigere Deus.  
Nemo Deum acceptum posset qui soluere cultum  
Inuentus toto iustus in orbe fuit.  
Et quia diuinæ compleri oracula legis  
Iratus noluit, qui tenet astra, minus.  
Iusticiæ voluitq; suæ rata iussa manere,  
Dum legum aut mortis mandat inire viam.  
Ecce ades omnipotens immensi conditor orbis,  
Cum patre qui simili es conditione Deus.  
Quiq; voluntatis secreta in numine trino  
Consilia exactè cognita solus habes.

Te

Te purum à vitio in vitiosum deicis orbem,  
Perpetuæ dederat quem sua culpa neci.  
Te legi astringis, mens est implere parentis  
Iusticiam, & lapsum sic reparare genus.  
**D**E IN te mortalem fieri perdura coëgit  
Pœna, hominum suberat cui genus omne reum.  
Primus quando parens inferni fraude Draconis  
Se vitio adductus polluit atq; suos.  
Hoc genus in seros morbi exitiale nepotes  
Manauit priscis semper in orbe ab auis.  
Postera sic primi pœnas sceleris luit ætas,  
Dum vitij innati sœua venena trahit.  
Sed quia non possent vires mortalibus ægris  
Sufficere, ut patris crimina facta luant.  
Tartara peccati hos trudebat ad imareatus,  
Mox aderat rapida mors rabiosa manu.  
Humani uerè es generis tunc Christe misertus,  
Hoc scelus à miseris dum remouere cupis  
Ipse volens nostra vestiris carne, nocentis  
Peccati & fortis baiulus ille manes.  
**P**O S T mersum in mortem, in stygias lapsumq; palu-  
Humanum possis vt retinere genus. (des,  
Et simul horrendæ mortis seruile subire  
Imperium, & mortem vincere morte **D E V S.**  
Tartareiq; queas subuertere regna Leonis,  
Grandeq; serpentis comminuisse caput.  
Impy vt inferni rabidas euertere vires,  
Peccati & valeas omne abolere genus.

A iiii Spon.

Sponte tibi assumis carnis misera ossa caducæ,  
Attamen ut vitysis sine labe Deus.  
Sumis & humanos ingentes Christe dolores,  
Quos ex carne Deus non aliundè tenes.  
Extrahis immersos homines tenebrisq; Erebiq;  
Corpora perpetua morte perempta lacu.  
Ac homines inter quoniam læsumq; parentem  
Tu mediatoris munus obire cupis.  
Ut pariter flectas, qui iustum accensus in iram  
Ob culpæ fuerat pondera nostra, patrem.  
Ac homines, tanquam diuini numinis hostes,  
Restituas iterum Numen homog; Deo.  
Non tantum alterutri decuit te iungere parti,  
Verum vtramq; simul sorte referre pari.  
Æterna æternum referebas mente parentem,  
Atq; ita eras viuo cum patre numen idem.  
Res erat ergo humilis sese dæmittere cœlo,  
Res mira in nostra viuere carne D E V M.  
Sed quia tam longo cantarant tempore Yates,  
Emanuel quod tu Christe futurus eras.  
Nemo Dei & posset sermonem ferre tonantem,  
Omnia qui miseri corporis ossa quatit.  
Mitteris interpres diuinæ mentis ab alto,  
Ex patris hæc referens dulcia verba sinu.  
Pronus & ad veniam quod sit, quod tydus ad iram,  
Fidere & in venia territa corda iubes.  
Nobiscum loqueris dulcissimaq; oscula libas,  
Et te promissum semen adesse doces.

Postea

**P O S T E** *A*vt humano generi succurrere posses,

*Quod Stygias plena fauce trahebat aquas:*

*Nec proles ignara mali diuina maneres,*

*Te pateris nostro corpore Christe tegi.*

*Vt morbo & nobis varia ægritudine pressis,*

*Auxilio posses natus adesse tuo.*

*Fratribus es similis factus sine crimine, nostras*

*Et recipis sordes in tua terga D E V S.*

*Summus vt ante Deum fida bonitate Sacerdos*

*Pro Vitijs posito munera thure dares.*

*Nam quoniam tentatus eras, & passus acerba,*

*Dum vitium mundi destruis omne rei.*

*Tentatis facile est in rebus adesse malignis,*

*Affectus parifata seuera pati.*

**P O R R O** *vt significes assūmens corporis artus,*

*Quod sancto foueas numine corda Deus.*

*Fraternum verè nobis ostendis amorem,*

*Et simili affectum patris amore doces.*

*Frater es, & nostro verum de corpore corpus,*

*Frater es ex nostris ossibus ossa gerens.*

*Non est quo nobis non sis æqualis in omni,*

*Præter quam vitio quod bone Christe cares.*

*O quicunq; oculis Titania lumina vestris*

*Cernitis extremis orbis ab usq; plagiis.*

*Læticia pariter timidum profundite pectus,*

*Et noua iam vitæ viuite secla piæ.*

*Nostra etenim caro quæ Vitijs erat obruta tetrüs*

*Eternum ad patrem non maculata sedet.*

*A v Fraude*

Fraude quid astuta mortales fallere serpens  
Profuit ? his ausis hydra profana peris.  
Quidue Dei digito formatum plasma potentis  
Ducere peccati crimen in omne Draco?  
Quid statione hominum detrudere pectora sancta  
Et supplantatos fallere fraude iuuat?  
Quid generi mortem nunc immisisse caducam  
Humano, vitij præmia digna tui?  
Quid ue Dijs similes mortales reddere cunctos?  
Cum sis ad Stygias præcipitatus aquas?  
Dulcia quid patrio ducentes semina cœlo  
Pellere sulphureos in tua regna lacus?  
Namq; astus, lususq; tuus, fraus diraq; serpens  
Cogit in humana viuere carne D E V M.  
Scilicet is vetiti pomi contactus & esus  
Æquales homines iam probat esse Deo.  
Ipsa Dei soboles æterni æterna parentis  
De casta cœretum virgine semen adest.  
Semen adest mulieris, & hoc ceruicis adunca  
Styx tua vietrici sub pede colla teret.  
Hoc ipsum retulit, quondam quæ primus Adamus  
Amisit suasu Dis furiose tuo.  
Quod duce te maculis consperserat vndiq; fædis,  
Christus id omnino factus honestat homo.  
Vnica sumentis vietrix victoria carnem  
Sustulit innatæ dira venena luis.  
Comminuit vires prostrati hæc vna Draconis  
Qui fuerat nostri causa dolenda mali.

Hæc

Hæc rabidas mortis fauces constrinxit auaræ,  
Ne magis in sanctos sœuiat illa choros.  
Vnica reiectos cælo nos reddidit omnes  
Et patris æterni dat bonitate frui.  
ERGO tuum Iesu tollemus nomen honore,  
Donec in hoc linguae corpore motus erit.  
Omnis te rerum celebret natura, tuumq;  
Numen in orbe omnis sexus & ordo canat.  
Te iuuenes celebrent, concordi ac ore pueræ,  
Teg, senes solum semper in ore ferant.  
Tu quia saluificæ nobis es causa salutis  
Nosq; tibi insertos protegis atq; regis.  
Et stabili fragilem gestas quod numine stirpem  
Quam nec in extrema ponere morte notes.  
Tenatum cuncti cupidis amplectimur vlixis,  
Nam fratrem ad dextram nos iuuat esse patris.  
Atq; verecundo tibi basia figimus ore,  
Et nato canimus gaudia multa tibi.  
Nec quæ procedunt plenis tantum oscula labris  
Sed puro potius pectore vera damus.  
Tu modo nobiscum maneas, turbamq; gubernes  
Cuius in hanc carnem motus amore venis.  
Ecce gemens premitur tua sponsa Ecclesia, Christe,  
Suppetias querulo poscit & ore tuas.  
Turbatur, maris insaniq; hinc inde feritur  
Fluctibus, ex omni fataq; parte timet.  
Errat, & immani huc rapitur vertigine & illuc,  
Vixq; locum certum quo requiescat habet.

Sed

Sed veluti nato tibi vix præsepe tenello  
Contigit, inq. humili gramen & herba thoro.  
Non regalis erat, constructaue sumptibus aula  
Magnificis, auro nec radiante domus:  
Sic, tua, quæ simili quoq; viuere sorte meretur,  
Possidet exiguum languida sponsa locum.  
Exulat & raro seruat parua agmina cœtu  
Et rabidis petitur sicut ouile lupis  
Ast huic hospitio, qui cuncta tueris & ornas,  
Prospicis, infracta dum viget ysq; fide.  
Et licet angatur, rapidisq; prematur ab yndis,  
Tutamen hanc pessum non finis ire, D E V S.  
Sed regis, & firmum portum & largiris Assylum  
Vnde rati nullo turbine fixa potest.  
Ut tandem dextro te vindice leta triumphet,  
Et vincat verbo turpia monstra tuo.  
FAC age nobiscum maneas, turbamq; gubernes,  
Cuius in Lanc carnem motus amore venis.  
Et quoniam tristi iam nox circumuolet ymbra,  
Luceat vt verbi fax, age Christe, tui.  
Hæc etenim purè præbet sua lumina quando  
Tramite de recti nullus aberrat homo.

F I N I S.









00 A 6436

ULB Halle  
004 931 300



3



